

spectu mulieris quae paritura erat, ut cum peperisset, natum eius comederet.<sup>1</sup> Draconem diabolum esse, nullus vestrum ignorat. Mulierem illam virginem Mariam significasse, quae caput nostrum integra integrum peperit, quae etiam ipsa figuram in se sanctae Ecclesiae demonstravit: ut quo modo filium pariens virgo permansit, ita et haec omni tempore membra eius pariat, virginitatem non amittat.

1295

Cap. IV, 4. [...] Quis enim non expavescat, cum audit Deum natum? Audis nascentem, vide in ipso ortu miracula facientem. Alvus tumescit virginis, claustrum pudoris permanet: impletur uterus matris sine ullo complexu patris, sentit prolem quae se ignorabat coniugem. Angelus ad virginem loquitur, a virgine cor praeparatur, Christus fide concipitur. Miraris haec? Adhuc mirare. Parit mater et virgo, feta et intacta: nascitur filius sine homine patre, qui fecit et ipsam matrem. Factor omnium fit inter omnia: portatur manibus matris rector totius orbis: lambit ubera, regens sidera: tacet, et Verbum est. [...]

PL  
40, 663

1296

Gaudete, virgines sanctae, virgo peperit Christum. Non vos contristet sterilitas, quarum fides magna est fecunditas; nec doleatis non vos esse matres, quae spiritualiter generatis, virgines permanetis, filios suscipitis, integritatem non amittitis. Accepistis ab illo nomen maternum, ut decus castitatis in vos permaneat sempiternum. Amate quod estis, servate quod accepistis. Imitamini fideles matrem capitis vestri, sponsi vestri: non vobis denegavit pignora, qui natus est de virgine Maria. Quod tantae matri contulit, et in sua carne servavit, hoc etiam vobis donavit virgo mater, sancta caro Christi, ab omni contagione integra.

PL  
40, 664

## S. EUCHERIUS Lugdunensis († 449/455)

### LIBER FORMULARUM SPIRITALIS INTELLIGENTIAE

1297

Cap. IV. [...] Rubus, \* ut quidam opinantur, Mariae virginis praefiguratio: eo quod quasi de humani corporis rubo, Salvatorem tamquam rosam emiserit; aut quod vim divini fulgoris, sine viri assumptione pertulerit. In Exodo: *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, et ridebat quod rubus arderet, et non combureretur.*<sup>2</sup>

PL  
50, 746  
\*747

### INSTRUCTIONES

1298

Lib. I. [...] *Mater Sion dicet homo, et homo factus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus,*<sup>3</sup> quid hic sequemur?

PL  
50, 791

<sup>1</sup> Apoc. XII, 4.

<sup>2</sup> Exod. III, 2.

<sup>3</sup> Ps. LXXXVI, 5.

Mater Sion, ut quidam volunt, Maria significatur, in qua natus est homo Christus, ipsius quoque matris creator.

PL  
50, 796

Quomodo accipiendum est quod Dominus Iesus Christus *David filius*<sup>1</sup> dicitur, enim utique natus non sit ex Ioseph, qui ex David stirpe descendit? 1299

In coniugium tunc Iudaei secundum legem de consanguinitate proximas assumebant. Nec dubitandum est quod hac ratione etiam Maria ex eadem tribu veniens, sicut Ioseph ex David stirpe descenderit, immo processerit. Ideo autem per generationem Ioseph origo Mariae significatur quia consuetudo Scripturarum est, virorum potius quam feminarum seriem in generatione contexere. Cuius Mariae quia *cognata*, sicut legitur, fuit *Elizabeth*,<sup>2</sup> quae fuisse scribitur *de filiabus Aaron*,<sup>3</sup> manifestissimum est, quod in Christo secundum carnem ex utroque genere convenerit, regum scilicet sacerdotumque successio.

PL  
50, 797

Quare in Evangelio *Maria Ioseph coniux dicitur*?<sup>4</sup> 1300

Consuetudo est Scripturae, ut etiam sponsas appellet uxores.

PL  
50, 813

Lib. II, cap. I. [...] *Maria, illuminata, sive stella maris: sed sermone Syro, domina.* 1301

## ARNOBIUS Iunior († post 455)

### CONFLICTUS<sup>5</sup>

PL  
53, 242

Lib. I, cap. III. [...] *Arnobius dixit*: Deum Iudaei sic praedicant solum, ut negent Filium eius; negent simul cum eo unum esse, qui natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine. — *Serapion dixit*: Iste qui natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, ipse unus an est alius? — *Arnobius dixit*: In Deitate unus, in generatione vero sic est alius, ut Deus unus esse non cesset Pater et Filius. Deus enim tunc vere unus creditur, et integra in eo Divinitas non negatur. 1302

PL  
53, 272

Cap. XVIII. [...] *Quicumque ergo negat Deum esse in Christo, id est, in homine, hic Antichristus est.*<sup>6</sup> [...] *Similiter qui duos filios* 1303

<sup>1</sup> Matth. I, 1.

<sup>2</sup> Lc. I, 36.

<sup>3</sup> Lc. I, 5.

<sup>4</sup> Matth. I, 20.

<sup>5</sup> *Arnobii Catholici et Serapionis CONFLICTUS de Deo Trino et Uno: de duabus in Christo substantiis in unitate personae; de gratiae et liberi arbitrii concordia.*

<sup>6</sup> I Io. II, 22.

● PL 50, 734.